



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA YAUNDENSIS (*BAFIENSIS*) \* SEIUNCTO  
TERRITORIO AB ARCHIDIOECESI YAUNDENSI, NOVA EFFICITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA, NOMINE  
«*BAFIENSIS*». Quo lex Evangelica aptius inter populos proferatur aeternaeque salutis subsidia, quae  
Christus omnium Servator meruit divinoque animo obtulit, quam pluribus praebantur hominibus,  
in more Apostolicae huius Sedis est alias nonnumquam ex aliis ecclesiasticas circumscriptiones  
constituere suisque sacris providere Praesulibus, apostolicarum operum heredibus. Quoniamque  
Sacrum Consilium Christianae Fidei Propagandae opportunum esse censuit si, certo territorio ex  
archidioecesi Yaundensi separato, nova conderetur praefectura apostolica idque faciendum  
proposuit, post scilicet auditos sive venerabilem Fratrem Ioannem Zoa, Archiepiscopum  
Yaundensem, sive venerabilem Fratrem Aloisium Bellotti, Archiepiscopum titulo Voncarianensem  
et in Africa Media Occidentali Apostolicum Delegatum, de apostolica et suprema Nostra potestate  
sequentia decernimus et iubemus. Ab archidioecesi Yaundensi totum territorium separamus civilis  
districtus, vulgo Mbam appellati, eoque novam praefecturam condimus *Bafiensem* nomine, quam  
Sodalibus Congregationis Sancti Spiritus gubernandam concredimus, ad nostrum tamen et  
Apostolicae Sedis nutum, quos hortamur ut nullis laboribus parcant ad Christi regnum ibidem  
prolatandum. Nova constituta praefectura, quae iisdem finibus cingetur ac territorium civilis  
districtus equo fit, omnibus iuribus et privilegiis fruetur quae ad normam iuris communis huiusmodi  
ecclesiasticis circumscriptionibus competunt. Mandamus denique ut Nostras has sub plumbo  
Litteras ad effectum adducat venerabilis Frater Aloisius Bellotti, quem diximus, vel ab eo delegatus  
vir, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Quodsi tempore exsecutionis alias in Africa  
Media Occidentali Delegatum Apostolicum agat, hic mandata omnia Nostra faciat. Qui vero  
negotium perfecerit congrua documenta de more exarari studeatad Sacramque Congregationem de  
Propaganda Fide quam primum mitti, rite signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum  
efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque  
igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt,  
cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel  
corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum  
viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino  
habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Iulii, anno*  
*Domini millesimo nonagesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.*

IACOBUS A. Card. COPELLO

*S. R. E. Cancellarius*

GREGORIUS Card. AGAGIANIAN

*S. Congr. de Prop. fide Praefectus*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens Caesar Federici, Proton. Apost.*

*Sylvius Romani, Proton.*

*Apoost.*

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 4, pp. 272-273 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana